IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 43v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Merito sancti orare debent quia Tu es refugium meum
a tribulacione huius seculi vel peccatorum que circumdedit me
exultacio mea cuius ope subsisto cuius semper presidio tutus
sum in cuius spei consolacione requiesco erue me a circumdan-
tibus me demonibus et malis hominibus querentibus
me impellere ad recidiuum

Respondet dominus peticioni penitentis Intellectum tibi
dabo ad cognoscendum agenda, et instruam te vitare
vitanda in hac via mandatorum dei qua gradieris firma-
bo super te oculos mie mee te protegendo ne aliquis t
nocere possit

Illuminatus vero iam penitens conuertit se ad alios
superbos peccata sua defendentes mouens eos ad peniten-
ciam dicens O uos peccatores

Nolite fieri superbi sicut equus qui erecta ceruice
incedit, aut stolidi et pigri sicut mulus quibus non est
intellectus sed sequuntur appetitum sensualem viuentes
vita brutali

Penitens dolens ad talium hominum vita qui more bru-
talium animalium viuunt orat ut nolentes acquiescere ar-
ceantur flagellis ad acquiescendum dicens

In chamo et freno. s. maiori et minori tribulacione
secundum diuersitatem culparum et personarum superbiam et
contumaciam constringe et contere iactanciam eorum
qui non approximant ad te humiliando se et obediendum
ad nutum

Bene monui vos nolite fieri sicut equus et mulus, quia
Multa sunt flagella peccatoribus hic et in futuro maxime
peccatoribus obstinatis grauissima sunt reseruata, speran-
tes autem in domino vera spe misericordia circumdabit vndique
ne sit locus hosti ad intrandum

Quia misericordia dicitur circumdare sperantes in domino propheta
inuitat iustos ad exultandum dicens O uos iusti